BREVE
S.D.N.D. GREGORII
diuina prouidentia
Papæ xiii.

Confirmationis Priuilegiorum Ordinis Heremitarum Sancti Hieronymi Congregationis Beati Petri de Pisis.



Romæ, apud Heredes Antonij Bladij Impressores Camerales.

M D LXXIX.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.



BENIGNITAS apoſtolicæ Sedis conſueta ea quæ per Romanos Pontifices pro religionis cõſeruatione, & augmento prouide facta fuiſſe dicuntur, libenter approbat, aliaque deſuper diſponit, prout conſpicit in Domino ſalabriter expedire. Dudum ſiquidem fe. rec. Eugenius iiii. Nicolaus v. Calixtus iii. Sixtus iiii. Innocẽtius viii. Alexander vi. Paulus iii. Iulius iii. Pius iiii. & Pius v. prædeceſſores noſtri Rectorem generalem, & alios Prælatos, ac perſonas ordinis ſancti Hieronymi Congregationis beati Petri de Piſis uarijs priuilegijs, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, ac gratijs, tam ſpiritualibus, quam temporalibus ornarunt, decorarunt, & locupletarunt, illaque antea conceſſa approbarunt, & confirmarunt. Cum autem ea firmius ſubſiſtant, ac maiorem uim, & robur obtinere noſcantur, quæ ſæpius apoſtolica auctoritate fuerint communita: propterea Rector & Prælati, ac perſonæ huiuſmodi nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut eis in præmiſsis opportune prouidere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur huiuſmodi ſupplicationibus inclinati, om-

nia & singula priuilegia, facultates, gratias, exem ptiones, immunitates, libertates, indulgentias, peccatorum remissiones, concessiones, & indul ta, quatenus sint in usu, & sacris canonibus non contrarientur, Rectori, ac Prælatis, & personis prædictis, necnon dictorum ordinis, & congrega tionis ecclesijs hactenus, ut præfertur, concessa, ex certa nostra scientia denuo apostolica auctori tate tenore præsentium approbamus, & confir mamus, illaque innouamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, ac om nes, & singulos tam iuris quam facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem supplemus: Decernentes præsentes literas nullo unquam tem pore de subreptionis, uel obreptionis uitio, seu intẽtionis nostræ, uel quopiã alio defectu notari, impugnari, sed illas semper ualidas, & efficaces existere, irritum quoque, & inane si secus super his a quoquã quauis auctoritate scienter, uel igno ranter contigerit attentari. Quocirca Venerabi li Fratri Archiepiscopo Vrbinatensi, & dilectis fi lijs causarum curiæ Cameræ apostolicæ generali Auditori, ac nostro, & Apostolicæ Sedis in ciui tate Venetiarum Nuntio per præsentes manda mus, quatenus ipsi uel duo aut unus eorum per se, uel alium, seu alios præsentes literas, & in eis con tenta quæcunque ubi, & quando opus fuerit, ac

quoties

quoties pro parte Rectoris, & Prælatorum prædictorum fuerint requisiti, solenniter publicantes, illisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra eos præmissis omnibus, & singulis iuxta præsentium continẽtiam & tenorem pacifice frui, & gaudere, nõ permittentes eos desuper a quoquam quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet & rebelles, & præmissis non parentes per sententias, censuras, & pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, inuocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstantibus quibusuis constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus etiam iuramento, confirmatione apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis, priuilegijs quoq; indultis, & literis apostolicis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis. quibus omnibus, eorum tenores præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permãsuris, hac uice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Aut si aliquibus communiter, uel diuisim ab apostolica sit sede indultum, quod interdici, suspendi, uel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam, & expressam,

ac

ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mẽtionem. Cæterum quia difficile foret præsentes literas ad singula quæque loca ubi necesse fuerit, deferri, uolumus præsentium transumptis etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo dicti Rectoris munitis, eandem fidem in iudicio, & extra adhiberi, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die xxv. Maij, M D L X X I X.
Pontificatus Nostri Anno Octauo.

Cæ. Glorierius.

